

# Theology on the Web.org.uk

*Making Biblical Scholarship Accessible*

This document was supplied for free educational purposes. Unless it is in the public domain, it may not be sold for profit or hosted on a webserver without the permission of the copyright holder.

If you find it of help to you and would like to support the ministry of Theology on the Web, please consider using the links below:



Buy me a coffee

<https://www.buymeacoffee.com/theology>



PATREON

<https://patreon.com/theologyontheweb>

**PayPal**

<https://paypal.me/robbradshaw>

---

A table of contents for the *Journal of Theological Studies* (old series) can be found here:

[https://biblicalstudies.org.uk/articles\\_jts-os\\_01.php](https://biblicalstudies.org.uk/articles_jts-os_01.php)

pdfs are named: [Volume]\_[1<sup>st</sup> page of article]

with the word so interpreted it seemed easy to reconcile the narrative of St Luke with that of St Matthew xxvii 5. (2) The external evidence: the interpretation here suggested has the support of the Armenian Version and of the kindred Georgian Version. It is antecedently probable that the Armenian Version here depends on an Old Syriac text, and there is some evidence in Ephrem's Commentary on the *Diatessaron* that this was actually the case. This interpretation agrees with the tradition as to the death of Judas preserved by Papias, who possibly in the word *πρησθείς* is consciously giving an equivalent of the Lucan phrase *πρηνῆς γενόμενος*. The Old Latin and the Armenian renderings of *πρηνῆς* in Wisdom iv 19 supply evidence either that *πρηνῆς* bore the sense of 'swollen up' generally or that this was the significance attached to the word in Acts i 18. Further, this interpretation of *πρηνῆς* in the Acts is certainly supported by a passage in the *Acts of Thomas* and probably by a fragment of Apollinarius on the death of Judas and by Athanasius's account of the death of Arius. The evidence so far is early evidence; and it comes to us, it will be noticed, from quite different quarters. The same interpretation is explicitly given by three late authorities—Georgius Cedrenus, Euthymius Zigabenus, and the Lexicon of Zonaras—each of whom is probably incorporating some earlier authority or some earlier tradition as to the meaning of *πρηνῆς* in Acts i 18.

F. H. ELY.

## RICHARD CROKE'S SEARCH FOR PATRISTIC MSS IN CONNEXION WITH THE DIVORCE OF CATHERINE.

### *De Richardi Croci (Iohannis Flandrensis) studiis Nazianzenicis.*

REM, quod sciam, uiris doctis non satis notam aggredior, de Gregorii Nazianzeni epistulis, quasnam in Henrici VIII, Britanniae regis, nota illa causa egerint partes, pauca quaedam moniturus.

Cuius quaestionis fontem epistolae praebent codicis Cotton. Vitell. B. XIII (s. XVI), quarum argumenta potissimum in opere *Letters and Papers . . . of the Reign of Henry VIII* ed. Brewer, tom. iv 3 (London 1876) extant edita, atque codicis Arundelliani 151 (s. XVI), in quem, dicti operis auctoribus ignotum, cum Nazianzeni inuestigare libros, forte fortuna incidi.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Qui codex (in [T. Forshallii] libro *Catal. of MSS in the British Museum*: New series vol. I [London] 1834 descriptus) plurium Croci epistularum continet apographa, maximam partem ab ipso Hieronymo Ghinuccio (uide infra) confecta, quae tunc praecipue, cum codex Cottonianus, secretioribus epistularum notis obscurus aut foedis lacunis laesus, deficit, maximo nobis sunt auxilio.

Cum omnia Wolseii ipsius 'eiusque regis' frigerent consilia, neque quidquam Clementem VIII, Pontificem Maximum, inducere posset, ut regi Catharinam, quam, fratris morte uiduam, uxorem duxit, matrimonio exigere permetteret, Cranmerus, ut uidetur,<sup>1</sup> auctor exstitit, ut proprio Marte ac nomine uirorum doctorum, si qui regi fauerent, colligerentur sententiae et praecipue SS. Patrum excuterentur opera ad grauem illam controuersiam disceptandam, utrum Deuteronomii<sup>2</sup> in hac causa adhibenda esset lex, an potius Leuitici,<sup>3</sup> qui fratris [mortui] uxorem in matrimonium ducere prohiberet. Nam ea quae iam prius a Wolseio collecta erant sententiarum 'magna uolumina' ad Pontificis Maximi tantum iura pertinebant interpretanda.<sup>4</sup> Rex, quem propria 'conscientia' ne somnum quidem capere sinebat,<sup>5</sup> grato animo hoc consilium est amplexus, utpote homo eruditus,<sup>6</sup> quin etiam ipse theologi cuiusdam opusculi<sup>7</sup> auctor.

Itaque anno 1529 missus est hoc consilio in Italiam Richardus Crocus (Croke),<sup>8</sup> uir Graece et Latine eximie doctus, qui cum Lutetiae Parisiorum antiquarum litterarum studiis in scholis Gulielmi Budaei et Hieronymi Aleandri<sup>9</sup> operam dedisset, in Academia Lipsiensi (a. 1514 et 1515-1517) et Cantabrigiensi (inde ab a. 1517) Graecae linguae exstitit sospitator,<sup>10</sup> tunc autem Richmondiae Ducis erat informa-

<sup>1</sup> J. A. Froude *History of England from the Fall of Wolsey* i, London 1875, pp. 267-269; H. A. L. Fisher *The Political History of England*, London, New York, Bombay 1906, v, pp. 287-288.

<sup>2</sup> *Vet. Test. Gr.*, ed. Jager, Paris, Didot, 1839, p. 296: 'Ἐὰν δὲ κατοικῶσιν ἀδελφοὶ ἐπὶ τὸ αὐτό, καὶ ἀποθάνῃ εἰς ἐξ αὐτῶν, σπέρμα δὲ μὴ ἦ αὐτῶ, οὐκ ἔσται ἡ γυνὴ τοῦ τεθνηκότος ἕξω ἀνδρὶ μὴ ἐγγίξοντι· ὁ ἀδελφὸς τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς εἰσελεύσεται πρὸς αὐτήν, καὶ λήψεται αὐτήν ἑαυτῷ γυναῖκα καὶ συνοικήσει αὐτῇ.

<sup>3</sup> *Vet. Test. Gr.* l. l. p. 177 (18, 16): 'Ἀσχημοσύνην γυναῖκος ἀδελφοῦ σου οὐκ ἀποκαλύψεις· ἀσχημοσύνη ἀδελφοῦ σου ἐστίν.

<sup>4</sup> Brewer l. l. *Introductio*, pp. 258, 267.

<sup>5</sup> Brewer l. l. *Ep.* 3140, 3643, 3644, 6111; cf. *Introductio*, pp. 222-223.

<sup>6</sup> Cf. ex. gr. Brewer l. l. *Ep.* 3261, 6111.

<sup>7</sup> *Libellus regius (Assertio septem Sacramentorum) aduersus Martinum Lutherum haeresiarcham. Epistola regia ad illustrissimos Saxoniae duces pia admonitoria.* (Apuđ Londinium 1521.)

<sup>8</sup> Fisher l. l.; Burnet *The History of the Reformation of the Church of England*, iii, Oxford 1865, p. 152.

<sup>9</sup> Qui uir doctus postea Bibliothecae Vaticanae praefectus (cf. infra), deinde episcopus (v. Brewer *Ep.* 6159) atque etiam cardinalis est factus; v. A. Mai *Spicil. Rom.* ii (1839) pp. 231-233; G. Przychocki *Watykańskie rękopisy listów św. Grzegorza z Nazjanzu (De Gregorii Nazianzeni epistularum codicibus Vaticanis)*, 'Eos' xvi (1910) p. 101 adn.

<sup>10</sup> Specimen litteraturae Lipsicae, seculo xvi, in quo de Richardo Croco Britanno, Graecarum litterarum in Academia Lipsica instauratore, exponitur . . . praemissum a Iohanne Gottlob Boehmio, Lipsiae 1761, pp. iv-xvi; Hager ap. *Proceedings of the Cambridge Philological Society* i-xxx, London 1893, October term, 1882, November 2, pp. 33-35. Richardi Croci opera nota sunt haec: *Ausonii editio*, 1515; *Theodori*

tor et magister.<sup>1</sup> *Iter Italicum ingrediens, praeceptis est instructus Iohan. Stokesleii, episcopi Londinensis, qui cum ei auctores proponeret examinandos, Nazianzeni praecipue iussit quaerere<sup>2</sup> et perscrutari epistulas, nam caeca quadam ductus recordatione earum aliquam regis causae admodum aptam et commodam esse credebat.*<sup>3</sup> Quo munere affectus Crocus, qui iam die 19 Decembris Bononiae erat et primum Patauinas et Veneticas bibliothecas inspicere, dein autem Romam proficisci in animo habebat,<sup>4</sup> omne fere tempus Venetiis in libris euoluendis consumpsit. Quae non tam iucunda ei euenit prouincia, nam non solum omnium bibliothecarum ac praecipue Marcianae<sup>5</sup> difficillimos aditus, sed etiam complurium hominum, qui Pontificis Maximi partibus fauerent, adeo infestos inuenit animos, ut, ne regis cognosceretur minister, Iohannis Flandrensis nomen sibi imponere debuerit.<sup>6</sup> Accedebat, quod etiam cum Iohannis Casalis, oratoris regii,<sup>7</sup> decertandum ei erat inuidia ac similitate.<sup>8</sup> Hic enim, ut Croco inueniendae epistulae laudem praeriperet, nihil sibi praetereundum duxit, quo eum ad rem perficiendam impedit; ueluti, si Croco fides, adulterinum ei obtulit Marcianae bibliothecae catalogum, in quo Gregorianos codices de industria omisisset.<sup>9</sup> Attamen patricii cuiusdam Veneti, Georgii Francisci (quem summis extollit laudibus atque saepius regiae commendat liberalitati), eiusque nepotis uiri docti Domitii Treuisani opera, Crocus non solum uerum Marcianae bibliothecae impetrauit indicem, e quo duos Gregorianarum epistularum codices in hac bibliotheca exstare comperit,<sup>10</sup> sed mox etiam ipsius bibliothecae adeundae copiam est adeptus. Nam licet etiam die 6 Ianuarii conqueratur 'de bibliotheca publica Veneta nihil possum impetrare, nec scio quorum medio ducem et senatum

[Gazaes] libri IV editio, Lipsiae 1516; M. R. Croci Londoniensis *Tabulae, Graecas litteras compendio discere cupientibus sane quam utiles . . .*, Lipsiae 1516; *Orationes Rich. Croci duae, altera a cura, qua utilitatem laudemque Graecae linguae tractat, altera a tempore, qua hortatus est Cantabrigienses, ne desertores essent eiusdem* 1520.

<sup>1</sup> Brewer *Ep.* 4562.

<sup>2</sup> Nondum enim omnes erant editae, cum editio princeps, anno 1528 confecta (Basiliū Magni et Gregorū Nazianzeni Theologorum Epistulae Graecae, numquam antea editae. *Opus plane sanctum et theologicum.* Haganoae per Ioh. Sec[erium]), 57 tantum Gregorianas contineret epistulas. Tunc tamen, ne haec quidem editio uiris doctis, de quibus agitur, nota fuisse uidetur, nam Aldinam tantum commemorant Graecarum epistularum editionem. (*Epistolae diversae philosophorum*, etc. . . Venetiis apud Aldum . . . M I D. V. Brewer *Ep.* 6178 et Aldinae editionis praefationem. Cf. praeterea Brewer *Ep.* 6192.)

<sup>3</sup> Brewer *Ep.* 6105, 6149, 6165, 6192, 6205, 6229, 6251.

<sup>4</sup> Brewer *Ep.* 6161.

<sup>5</sup> Brewer *Ep.* 6140.

<sup>6</sup> Brewer *Ep.* 6168.

<sup>7</sup> Burnet l.l. pp. 152-153.

<sup>8</sup> Casalis peruersitatem passim conqueritur Crocus, sed uideas praecipue apud Brewerum *Opp.* 6229, 6235, 6236.

<sup>9</sup> Brewer *Ep.* 6174, 6236.

<sup>10</sup> Brewer *Ep.* 6165, 6168, 6173, 6192, 6197, 6229, 6235, 6280.

Venetum ea de re sollicitarem,<sup>1</sup> iam die 28 eiusdem mensis haec scribit :

‘Hodie fuimus apud Sanctum Marcum et in ipsa bibliotheca *capsas nonnullas* et in eis *graecorum plenam quandam invenimus*, in qua multa erant graeca egregia opera tum oratorum, tum vero Philonis et Chrysostomi et Dionysii. Invenimus etiam *librum epistolarum graecarum* maximum volumen, sed auctoris nomen extritum, cum indagaremus (?) eum, reddidit nos dubios utrum Basilii an Nazianzeni ; fuisse Basilii, nam erant ad monachos aliquot epistolae.’<sup>2</sup>

Quid, si non ita multo post, etiam ut domum libros examinandos acciperet, impetravit?

‘Heri [die 3 Febr.], opera patris Francisci domi permittebantur Canones conciliorum cum commentis in Graeco . . . postremo *Nazianzeni epistolarum volumina*, sed pulchrum illud cum Basilii epistolis, de quo antea scripsi [Brewer *Ep.* 6173], heri non erat in capsula, ubi id reliqueram. Policiti sunt procuratores, habiturum me ubi istos restituro.’<sup>3</sup>

Sed Crocus ne ceteras quidem, quae hoc tempore Venetiis extabant, praetermisit bibliothecas : etenim priusquam ipsam Marcianam inspexit, iam eiusdem Francisci Georgii auxilio SS. Iohannis et Pauli peruestigavit bibliothecam,<sup>4</sup> de qua die 6 Ian. haec scripsit : ‘Inueni etiam in Bibliotheca Iohannis et Pauli Nazianzenum sed non epistolas, inueni etiam Basilii epistolas.’<sup>5</sup> Attamen postea, ut ex alia quadam epistula, die 2 Martii scripta,<sup>6</sup> elucet, ‘antiquissimum Gregorii Nazianzeni epistularum’ hic inuenit ‘codicem’. Cuius bibliothecae libri anno 1789 in Marcianam sunt delati,<sup>7</sup> sed in Castellani catalogo, qui libros m. s. post annum 1740 illatos recenset,<sup>8</sup> nullus nunc SS. Iohannis et Pauli commemoratur codex, qui Gregorii Nazianzeni contineat epistulas. At etiam a. 1740 Dominicus M. Berardelli huius bibliothecae codicem quendam n. LXI signatum, chartaceum, s. circa XIII, his uerbis

<sup>1</sup> Brewer *Ep.* 6140 = cod. Arund. 151 fol. 144<sup>a</sup>-145<sup>a</sup>. Cf. Brewer *Ep.* 6168.

<sup>2</sup> Haec ex optime seruato codicis Arundelliani (fol. 164-165) apographo attuli, cum in codice Cottoniano et ipsa Croci epistula (Brewer *Ep.* 6156) et eius apographum, notis secretis conscriptum (Brewer *Ep.* 6173), permultas exhiberent lacunas. Cf. Brewer *Ep.* 6165.

<sup>3</sup> Quae ex ipso codice Cottoniano (fol. 32<sup>b</sup>) deprompsi, nam apud Brewerum (*Ep.* 6197) argumentum solum exstat anglice conscriptum. Cf. Brewer *Ep.* 6165, 6192, 6238.

<sup>4</sup> Brewer *Ep.* 6192, 6229. De hac quoque bibliotheca libros domi legendos accepit. V. Brewer *Ep.* 6149.

<sup>5</sup> Brewer *Ep.* 6140, cf. supra adn. 1.

<sup>6</sup> Brewer *Ep.* 6250.

<sup>7</sup> T. Valentinelli *Bibliotheca Manuscripta ad S. Marci Venetiarum*. Cod. MS Latini I Venetiis 1868, c. xiii pp. 96, 98 sq.

<sup>8</sup> C. Castellani *Catalogus Codicum Graecorum, qui in bibliothecam D. Marci Venetiarum inde ab anno MDCCXL ad haec usque tempora inlati sunt*, Venetiis 1895.

describit: 'Nazianzeni (S. Gregorii) Epistolae 147, Galeni de diebus criticis, *περὶ κρισίμων*'<sup>1</sup>; quem librum, ut ipse Berardellius adnotat, etiam *Montefalconius* (a. 1702) in Diario Italico (p. 47) commemoravit: 'Codex XII saeculi. Epistolae Gregorii Nazianzeni et quaedam Basilii.' (Cf. *Bibl. Bibl.* i 478.) Ad eundem fortasse librum, cum inter omnes constet illius aetatis in codicibus describendis indiligentia, ea pertinent, quae apud Tomasinium (a. 1650)<sup>2</sup> de quodam eiusdem bibliothecae codice Graeco prolata inuenies: 'Theodori *περὶ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου* . . . Georgii Gemistii de uirtute . . . Basilii et aliorum epistulae, Galenus de diebus criticis.' Ex iis autem, quae hic de Theodori [Gazaei] et Georgii Gemistii [Plethonis] operibus sunt dicta, non sine aliqua probabilitate conici potest hunc esse illum librum m. s. quem, ipsius Croci aetate (s. XVI) exaratum, commemorat codex Vaticanus gr. 2240 (Column. 79), ubi ad f. 56<sup>a</sup> haec leguntur: *ἐκλογὴ βιβλίων τῶν παρ' ἐνέταις ἐν τῷ ἱερῷ ἰωᾶν καὶ πάλου τῶν ἁγίων* . . . Θεοδώρου τοῦ γαζῆ συγγράμματα μετὰ τῶν γεωργίου τοῦ πλῆθωνος.<sup>3</sup> Etiam S. Antonii bibliothecam eodem Francisco Gregorio intercedente Crocus inspexit<sup>4</sup>; quae bibliotheca a *Grimaniorum* familia condita erat (Tomasini l. l. p. 1) ad eamque sine dubio referenda sunt, quae in Croci epistula, die 4 Febr. ad Ghinuccium episcopum Wigornensem<sup>5</sup> scripta, leguntur: 'Iam audio non a protonotario solo, sed etiam a pluribus aliis fide dignis, habere Cardinalem Grimanum et *epistolas Nazianzeni omnes* et Basilii et concilia omnia graeca cum epistolis et decretis et canonibus hic Venetiis.'<sup>6</sup> Codicum tamen, qui in hac bibliotheca asseruabantur obscura prorsus sunt fata, nam a. 1687 Bibliotheca tristi incendio est consumpta, neque ullum librum seruatum esse Castellanius contendit (l. l. p. 44 adn.). At tamen *Leo Dorez*, ignotis quibusdam documentis innisus, sane probabilem protulit opinionem plures huius bibliothecae codices aut ipso incendii tempore aut iam prius surreptos esse eoque modo in alias bibliothecas atque in ipsam Marcianam peruenisse.<sup>7</sup> Quibus liceat mihi adicere aliud quoddam, a *Morellio* adhibitum testimonium, e quo, ut opinor, eluceat partem saltem eorum librorum in Marcianam bibliothecam re uera transisse: 'Poco dopo [intellege post annum 1589]

<sup>1</sup> Dominicus Maria Berardelli, 'Codicum omnium Graecorum . . . qui manuscripti in bibliotheca S. Iohannis et Pauli . . . asservantur, catalogus' ap. *Nuova Raccolta d'opuscoli scientifici e filologici* t. xx (1740) fol. K. 5.

<sup>2</sup> I. Ph. Tomasini *Bibliothecae Venetae manuscriptae* . . . Utini 1650, 'Bibliotheca SS. Ioannis et Pauli' pp. 22-23.

<sup>3</sup> Heiberg *Philol.* 55 (1896) p. 746 sq.

<sup>4</sup> Brewer *Ep.* 6174.

<sup>5</sup> Qui erat regius orator Romae, atque omnium Henrici VIII ministrorum quodammodo magister ac princeps, ut ex his omnibus epistulis elucet.

<sup>6</sup> Brewer *Ep.* 6197, cf. supra p. 288 adn. 3.

<sup>7</sup> *Revue Critique* 30 (1896) p. 91-92.

secondo un Decreto del Senato 1636. 24 Nov. *lasciò Libri alla Repubblica anche il Patriarca d'Aquileja Giovanni Grimani*, da cui ebbe il Pubblico Museo gran parte d' Anticaglie: ma più chiara notizia non ritrovo, che dia conferma a questo fatto.<sup>1</sup> Qua re efficitur, ut etiam huius bibliothecae libros, etsi a Castellanio (l. l.) non designatos, in Marciana liceat quaerere. De illis autem codicibus, quos, ut suspicor, Crocus, Gregorianas quaerens epistulas, legisse potuerit, tres praecipue apud Tomasinum (l. l.) uideas:—

- ' p. 16 Pluteus XVII Epistulae Graecae Patrum f. m.  
 p. 17 ,, XXI Gregorius Nazianzenus 4 m.  
 p. 18 , XXIII Epistulae Anonymi 4 ch.'<sup>2</sup>

Patauinam denique Crocus inspexit S. Iustinae bibliothecam, in qua tamen Nazianzeni orationes solas inuenit, non epistulas.<sup>3</sup>

Iam uideamus quae Crocus his omnibus bibliothecis et codicibus excussis eruerit et quatenus munus sibi delatum praestiterit: Gregorianam quidem epistulam, quam ita comparatam habere uoluit Stokesleius ut regis causam adiuuaret, etsi tantos subiit labores, non inuenit; et profecto inuenire non poterat hanc solam ob causam, quod eiusmodi epistula Gregoriana omnino nulla est. Quid, si in eius epistulis, ad aliquod matrimonium pertinentibus (*Ep. 144, 145, 193, 230, 231, 232*), nonnulla extant eis, quae Stokesleius moliebatur, prorsus contraria, ueluti in *Ep. 144*, ubi expressis uerbis haec dicuntur: 'Εγὼ δὲ ἦδιστα ἂν γνώμην ἔδωκα . . . ἐπὶ τῷ μὴ κυρῶσαι τὸ ἀποστάσιον, ὃ τοῖς ἡμετέροις ἀπαρέσκει πάντως νόμοις, κἂν οἱ Ῥωμαίων ἐτέρως κρίνωσι (Migne *P. Gr.* 37, col. 245, 248)? Itaque non mirabimur, quod apud regios ministros orta sit suspicio, huic quaestioni fortasse errorem quendam Stokesleii<sup>4</sup> subesse, praesertim cum I. Casalis eiusmodi epistulam se non inter Gregorianas, sed inter Basilianas legisse praedicaret.<sup>5</sup> Nunc igitur Crocus omne studium ad Basilianas epistulas examinandas conuertit et breui epistulam illam, in qua totius causae cardo uertebatur, *Basilii epistulam 199* (Migne, l. l. 32, col. 724 A), re uera inuenit. Haec enim legas, quae ex Croci epistula, die 18 Febr. (?) ad regem missa excerpti:—

' Basilius ille Neocaesariensis, Invictissime et potentissime princeps, qui ob exi[m]iam religi[on]em et pietatem et magnus et sanctus non immerito dictus est, in libro ad Amphiloichium episcopum ita graece

<sup>1</sup> I. Morelli *Della Pubblica Libreria di S. Marco in Venezia Dissertazione storica*, Venezia 1774, pp. xxxviii-xl, iii.

<sup>2</sup> V. praeterea de hac bibliotheca: Blume *It. Ital.* p. 225.

<sup>3</sup> Brewer *Ep.* 6149; 6168 (p. 2756), cf. I. Ph. Tomasini *Bibl. Patavinae MSS.*, Utini 1639, pp. 44, xi-xii.

<sup>4</sup> Brewer *Ep.* 6170, cf. *Ep.* 6159.

<sup>5</sup> Brewer *Ep.* 6194, 6174.

scriptum reliquit : περι τῶν δύο ἀδελφῶν, ἡ ἀδελφοῖς δύο γαμουμένω[ν] ἐπιστολίδιον ἡμῖν ἐκπεφώνη[ται], οὗ τὸ ἀντίγραφον [ἐπεστει]λαμεν σοῦ τῆ εὐλαβείᾳ· ὁ δὲ ἀδελφοῦ ἰδίου γυναικα λαβῶν οὐ πρότερον [δεχθῆ]-σεται, πρὶν ἀποστῆναι αὐτῆς. Hoc est : "de iis, qui duas sorores duxere, aut [duobus] fratribus nupsere epistolula a nobis edita est, cuius adversarias nisi ad pietatem tuam. Ceterum qui proprii fratris uxorem duxerit, non prius admittatur in fidelium communionem, quam ab ea fuerit separatus." Ex quibus verbis non temere divino (*sic*) *hanc esse illam, quam nos tantopere quaerimus et lapsum memoria Stoxleium Nazianzeno ascripsisse, quod era[st] Basilii.* Eam igitur ad maiestatem tuam mittimus . . .

Dein Franciscum Gregorium laudare pergit :—

'Hic solus . . . hic Antonianam bibliothecam mihi aperuit. Hic Antonianae et Marcianae indices veros, sine quibus ficticium illum orat[oris] tui numquam deprehendissemus, mihi tradidit describendis. Hic domino Dominico Tr[evisano] nepoti suo, homini graece et latine exacte docto persuasit, ut sua fide et nomine primum quidem ex Iohannis et Pauli deinde ex Sancti Marci Bibliotheca libros desumeret, quos domi meae perlegendos permitteret. *Et hi sunt illi [venerandae?] antiquitatis graeci libri, in quibus epistolam tam diu nobis quaesitam inveni[mus].*'<sup>1</sup>

Quibus tamen Crocus minime sibi acquiescendum esse putavit et, ut quaestioni omnem adimeret scrupulum, iterum et saepius Gregorianas uersavit epistulas; tunc etiam unam et alteram, si quae omnino ad matrimonium referri poterat, ad Ghinuccium mittebat, ut ex eius litteris ad Stokesleium datis elucet :—

'Superioribus his diebus ad te misi epistolam Basilii, quam tu as[cripsisti] Nazianzeno. Evolvi autem Nazianzeni epistulas omnes, nec aliquam inveni, quae utcumque ad nostrum negotium vel suspicione posset trahi, praeter duas, quas quamvis huc videantur nihil pertinere, ut ne indiligentem in evolvendis libris putes, descriptas ad episcopum misi.'<sup>2</sup>

Atque huc pertinet ex c. Greg. Naz. *Ep.* 232, quam primo miserrime mutilatam, dein integram inuenit, ut ipse dicit :—

'Legimus epistulas Nazianzeni omnes et nihil in his, quos habemus, libris invenimus, sed in altero antiquissimo S. Iohannis et Pauli invenimus epistolam integram, cuius mancā partem misimus, scriptamque eam ad *Dioclem, non quod putabamus ad Amphiloichium.*'<sup>3</sup> Nec ulla in omnibus istis Nazianzeni praeter hanc et alteram, quae ulla suspicione

<sup>1</sup> Cod. Cotton. fol. 47 (48)<sup>a</sup>. Apud Brewerum (*Ep.* 6229) argumentum solum inuenitur.

<sup>2</sup> Cod. Cotton. fol. 58, Brewer *Ep.* 6251.

<sup>3</sup> De Gregorii Nazianzeni epistula 232 agitur, cuius fragmentum in litteris die 22. Febr. ad Ghinuccium datis laudavit. V. Brewer *Ep.* 6239.



ad nuptias trahi possent, et eas quamquam nihil ad rem facientes, ut ne tamen videamur fuisse indiligentes, mi[ttimus].<sup>1</sup>

Iam igitur ad certum erat redactum *Basilianam solam, quae huc faceret, esse epistolam.*

Alia nunc oritur quaestio nondum profligata, *utrum Crocus Romae reuera fuerit*, id quod principio in animo habebat (u. supra), necne.<sup>2</sup> Atque primum est, quod moneamus, omnino non uideri uerisimile, ut Crocus, Henrici VIII minister, Pontificis Maximi, qui omnia regis nouerat consilia,<sup>3</sup> bibliothecam adire, nedum excutere potuerit, etiamsi Poenitentarii illud officium adeptus fuisset.<sup>4</sup> Et profecto in nulla epistula Croci, Ghinuccii aut aliorum, qui huic causae operam dabant, testimonium aliquod inuenimus eiusmodi, ut eo innisi Crocum aliquando Romae fuisse ac bibliothecam Vaticanam inspexisse credamus; quin contra his epistulis perlectis, pro explorato necesse est habeamus Crocum ipsum breui sibi persuasisse nullam in Vaticana bibliotheca spem poni debere. Quae Croci sententia luculentissime apparet ex Ghinuccii quadam epistula ad regem missa, quam in breuiorem formam redactam—cum etiam ad Vaticanae bibliothecae historiam non sine momento uideatur esse—ex codice Arundelliano<sup>5</sup> afferro:—

‘Scribit Crocus ex Venetiis valde longas litteras, datas 10. octavo Ianuarii<sup>6</sup>; quod ad rem attinet in substantia est inuenisse se Venetiis *Bibliothecarium Papae* [Hieronymum Aleandrum]<sup>7</sup> ab eoque intellexisse *perdita Romae ultra quadringenta volumina graeca*<sup>8</sup> et non esse ad praesens in Bibliotheca librum illum Nazianzenum, quem quoniam, sed iactare apud se totum esse Nazianzenum licet non ibi sed in Apulia; item dictum sibi fuisse a quodam Valeriano Burgomense [Bergamo]<sup>9</sup> uiro docto, esse apud episcopum Theatinum [Chieti]<sup>10</sup> ibi existentem

<sup>1</sup> Cod. Cotton. fol. 57 (58)<sup>a</sup>. Quae a Brewero (*Ep.* 6250) perperam sunt intellecta.

<sup>2</sup> Cf. *Encyclopaedia Britannica*<sup>10</sup> s.u. ‘Croke Richard’ et *Allgemeine Deutsche Biographie* iv, Leipzig 1876, pp. 602–604 (Horawitz).

<sup>3</sup> Brewer *Ep.* 6108, p. 2757.

<sup>4</sup> Cf. Brewer *Ep.* 6105.

<sup>5</sup> In fol. 158<sup>a</sup>–160<sup>a</sup> ea exstant, quae ad Crocum pertinent, Ghinuccii manu ut uidetur scripta, prius quam ea notis secretioribus condidit; quae recensio lectu difficilis et multis lacunis foeda apud Brewero (l.l. *Ep.* 6168) exstat.

<sup>6</sup> Brewer *Ep.* 6149.

<sup>7</sup> V. supra p. 286, cf. Brewer *Ep.* 6149, 6150.

<sup>8</sup> Cf. Brewer *Ep.* 6149, 6150. Quae ad famosam illam urbis Romae occupationem (anni 1527) quae *sacco di Roma* dicta est, sine dubio sunt referenda. Attamen de ‘400 libris omissis’ neque E. J. Vogel *Gesch. d. Vaticanae seit d. Zeit Sixtus IV. bis z. J. 1600* (*Serapeum* vii, 1846), pp. 289 sq., neque E. Müntz *La Bibliothèque du Vatican au XVI<sup>e</sup> siècle* (*Petite Bibl. d’art et d’archéol.* Paris 1886), ullam faciunt mentionem, Fr. Blume autem (*Iter. Ital.* pp. 271–272) Vaticanam Bibliothecam in hac calamitate exiguo aut omnino nullo damno affectam esse asseuerat.

<sup>9</sup> Non ‘Burgi . . .’ ut Brewer in suo codice se legisse putat; cf. *Ep.* 6193, 6149.

<sup>10</sup> I. Petrum Carafam dicit, qui postea Pontifex Maximus Paulus IV factus est, hoc autem tempore, post urbem captam, Venetiis erat. Cf. Brewer *Ep.* 6150, 6173.

non solum Nazianzenum, sed etiam Maximum Planudem et Crisostomum et rapsodias multorum commentariorum in utrumque Testamentum et fere omnes libros quos *dominus Stoksleyus ex mandato maiestatis vestrae dixit sibi esse legendos* . . . petit etiam a me consilium, utrum deberet ulterius ibi manere . . . ego autem ad eum sc[ri]p[si], quod mihi videbatur eum debere ibi manere, donec speraret posse cau[sae] maiestatis vestrae prodesse, *nam Romae non videtur esse tantas spes [ut spera]hamus* . . .<sup>1</sup>

Atque iam die 2 Febr. ipse Crocus haec scripsit :—

‘ . . . Iam certum est hic libros omnes illos esse, quos mihi Romae legendos praescripsit Stoxleius, et Nazianzeni epistulas illas, quas nos maxime cupimus ; et *Romae non esse* et hic esse a fide dignis . . . accepimus.’<sup>1</sup>

Cum denique ex posterioribus Croci epistulis aperte eluceat eum de Vaticana Bibliotheca, cuius custos Aleander regi esset inimicissimus, prorsus desperavisse,<sup>2</sup> atque idem Crocus in alia quadam epistula a rege petat, ut se Venetiis in Germaniam mittat,<sup>3</sup> proclivis est coniectura Crocum epistula illa Venetiis inuenta iam de Roma nihil curavisse et breui alio quodam munere esse affectum. Adde, quod non ita multo post ipsa regis causa iam peracta erat.

Ultima autem epistula, quam in hac causa ex Italia misit Crocus (Brewer *Ep.* 6745), Venetiis est scripta et postea, anno demum 1532, eum deprehendimus, Oxoniensem professorem, regis libellum de suo diuortio conscriptum<sup>4</sup> summis efferentem laudibus.<sup>5</sup>

At ex bibliotheca Vaticana est depromptum opusculum quoddam Graecum, quod in cod. Arundelliano 151 asseruatur (fol. 187<sup>a</sup>, 188<sup>b</sup>) atque his lemmatibus est instructum : ‘ Ex publica bibliotheca pontificis ex libro, qui inscribitur Collecta B. Gregorii Nazianzeni in fine tertii banchi supra.’ Et paulo infra : ‘ *Epistula inventa in libro Gregorii Nazianzeni* in bibliotheca pontificis in tertio banco.’ Huc sine dubio pertinet Ghinuicii epistula, cuius argumentum in eodem codice Arundell. (fol. 183<sup>a</sup>, 184<sup>a</sup>) asseruatur : ‘ Excerpta ex litteris Domini Wigorniensis die vii Februarii Bononiae datis.’ Cum epistula ipsa apud Brewerum

Eius libri autem in Vaticanam bibliothecam postea sunt delati. Cf. V. Gardthausen *Sammlungen u. Cataloge griech. Hss.*, Leipzig 1903 [Byz. Archiv. 3], p. 44.

<sup>1</sup> Cod. Cotton. fol. 296, cf. Brewer *Ep.* 6192.

<sup>2</sup> Brewer *Ep.* 6280 (21 Mart.) p. 2823 ; 6354 (23 Apr.). Quod hic (p. 2853) apud Brewerum ‘ Alexander ’ pro ‘ Aleander ’ legitur, merus error est.

<sup>3</sup> Cod. Cotton. fol. 49<sup>b</sup> (50<sup>b</sup>) haec a Croco scripta habet : ‘ . . . Si regi placet et videtur mihi non posse melius facere, quam si amicos quidem parandos huic patri [Francisco Gregorio], libros graecos evolvendo[s] Dominico Trevisano eius nepoti [i]n regem propter litteras (?) optime fideliterque affecto (?), graece praeterea exacte docto, committeret et nos in Germaniam ad parandos illos amicos mitteret.’

<sup>4</sup> *A glasse of the truthe* [London 1531].

<sup>5</sup> Brewer l.l. vol. v *Ep.* 1338, cf. *Ep.* 1320 et 1180.

ex cod. Cottoniano edita (ep. 6205) admodum sit mutilata, haec uelim legas e codice Arundelliano descripta :—

‘ Mittit [Ghinuccium intellege] copiam quorundam scriptorum Graecorum ex quodam volumine Gregorii Nazianzeni *ex bibliotheca pontificis et ex illo banco, quod dixerat Dominus Stokleus, in quo libro est illa epistula, quae quaerebatur.* Et unus Graecus dixit, quod dicta scripta non continebant quae quaerebamus, tamen quod faciunt aliquid contra adversarios nostros, sed tutius istic, quam hic veritas epistulae interpretabitur [!], cuius etiam exemplum misi ad dominum Crocum.’

Quae tamen noua et sane mira ‘epistula’<sup>1</sup> e duobus constat capitibus: \*Ἐπαινοὶ γυναικῶν et \*Ἐπαινοὶ ἀνδρῶς καὶ γυναικὸς ὁμοζύγων, atque accuratius examinata non nisi *cento quidam e Gregorii Nazianzeni orationibus conflatus* apparet. Nam haec uelim uideas, quae ex. c. ex ipso principio profero: Εἰς δύο ταῦτα διηρημένοι πασι τοῦ βίου . . . δημιουργεῖται πρὸς ἀρετὴν = *Or.* 8 (Migne *P.G.* xxxv) col. 797 A–B + Οὐ χρυσὸς ἐκείνην ἐκόσμησεν . . . καὶ ὄνειδος τὸ αἰσχύνεσθαι = *Or.* eadem l. l. col. 800 B–801 A + \*Ἐκείνη μὲν ἄλλων γυναικῶν κάλλει . . . δι’ ἀλλήλων κρατύνουσα = *Or.* 18 (Migne *ibid.*) col. 993 C–996 A + καὶ οὐ τὰ μὲν τῆς μεγαλοψυχίας τοιαῦτα . . . τῶν γενναιωτάτων ἀνδρικότερα = *Or.* 8, col. 804 B–C, et q. s.

Quid si etiam codicem Vaticanum, e quo haec essent descripta, inuenisse contigit? Hic est *codex Vat.* 485 s. xiii, qui titulo ‘Collecta B. Gregorii Nazianzeni et Maximi’ denotatus, *Anthologiam* continet *Gregorianam*, in qua (in capitibus νῆ–νῆ, pl. 88<sup>b</sup>–90<sup>b</sup>) eadem prorsus atque in codice Arundelliano extant.<sup>2</sup> Itaque uides nescioquem—caue ne Crocum putes—lucri fortasse faciendi studio ductum, haec ex libro Vaticano excerpisse atque iis, qui Gregorianas quaerent epistulas, pro uera Nazianzeni epistula obtrussisse, aut saltem obtrudere studuisse.

<sup>1</sup> Cf. [Forshall, J.] *Catal. of MSS in the Brit. Mus. New series* [London] vol. i : The Arundel MSS 1834, p. 40 : ‘De hoc opusculo nihil traditur in editione operum Gregorii Nazianzeni Parisiis impressa a. 1788 studio Monachorum S. Mauri.’ Minime mirum id quidem.

<sup>2</sup> De hoc codice aliisque duobus a me examinatis, qui eandem contineant Anthologiam, u. Przychocki *Eos* xvi (1910) pp. 109–114 (cf. supra, p. 286 adn. 9). Cum autem reliqui duo codices (Pii II 7, Vat. gr. 484) posteriore demum saeculi xvi dimidio essent exarati, codicis Vat. 485 solius hic rationem esse habendam suspicabar. Quam coniecturam Monsignor I. Mercati, a me rogatus, ut est eximia comitate, per litteras ad me missas ad certum redegit. Qui uir doctus praeterea hunc codicem a Sixti IV temporibus (1471–1484) re uera ‘in tertio banco’ fuisse asseruatum benigne me docuit. Aperte autem conspirant, quae de Platina, Sixti IV Bibliothecario, in libro *Acta litteraria ex manuscriptis eruta atque collecta cura Burcardi Gotthelfii Struvii* fasc. IV, Ienae 1706, p. 10, sunt dicta : ‘Diuidit Platina libros secundum banca sive repositoria, ita, ut primum bancum contineat Biblia . . . tertium alia adhuc Augustini, Ambrogii, B. Gregorii. . .’

Quae omnia autem luculenter demonstrant, quanta etiam hac aetate Gregorii Nazianzeni fuerit auctoritas, ut in hoc tam graui discrimine ad eius praecipue opera uiri docti prouocauerint.

GUSTAVUS PRZYCHOCKI.

Scribebam in uico *Gromnik*.

## ORIGEN'S COMMENTS ON THE APOCALYPSE.

It was only in July last that a Greek scholar of the University of Athens, M. Diobouniotis, sent to Dr Harnack the copy of a text of a considerable part of the Apocalypse accompanied by the comments of some early patristic writer whom he was not able to identify. The copy was taken from a tenth-century manuscript in the monastery of Meteoron, which had already yielded a work of Hippolytus, 'On the blessings of Jacob.' Harnack at once recognized this new commentary as the work of Origen, with the exception of the last two comments which were extracts from Irenaeus known to us hitherto for the most part in Latin only. With characteristic speed Harnack produced an *editio princeps* which was in our hands before the middle of December.<sup>1</sup> Students of Origen, and students of the text of the Apocalypse, must of necessity read this little tract for themselves; so that I shall not take up space by any further description of its contents. I only ask leave to make a few emendations of a text, which, notwithstanding the excellent work that Harnack has done upon it, still challenges the corrector.

1. *Scholion* xi (p. 26) l. 6. This sentence is quite right as it stands. It means: Perhaps his perplexity arises from thinking of ordinary death; whereas what has been said above as to 'the second death' may fairly be applied, if need be, to an angel.

2. xiv l. 4. A full stop is required after *κεκρυμμένον*. Then the words *καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινόν* are in place as a new *lemma*.

3. xx l. 8. Harnack prints *διὸ οὐδεὶς ἀνοίξει τὰ κατὰ τὸ γράμμα τοῦ νόμου, οὐκ ἐτι ἐφεξῆς τὰ λοιπὰ φυλαχθῆναι χώραν ἔχοντα*. The codex has *οὐκ ἐτι φυ ἐφεξῆς τα λοιπα λαχθηναι*. Harnack has accepted the ingenious correction offered by Diobouniotis; but he adds 'at locus nondum sanus est'. It seems quite clear that in the archetype a line

<sup>1</sup> Der Scholien-Kommentar des Origenes zur Apokalypse Johannis, nebst einem Stück aus Irenaeus, Lib. v, Graece, entdeckt und herausgegeben von Constantin Diobouniotis und Adolf Harnack (*Texte und Untersuchungen*, 1911).